VIRO SUMME VENERABILI AC PERILLUSTRI

GEORGIO THEOD. KRUEGER,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, GYMNASII PRIMARII, QUOD BRUNSVIGIAE FLORET,
DIRECTORI ET PROFESSORI,

MUNERIS SCHOLASTICI ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS PUBLICE SUSCEPTI

MEMORIAM

DIE XIV. M. NOVEMBR. A. MDCCCLXIII

FELICITER CELEBRANTI

EA QUA DECET PIETATE ET OBSERVANTIA

GRATULANTUR

PHILOLOGI ET PAEDAGOGI OSCHERSLEBIAE CONVENTUS SUOS AGENTES

INTERPRETE

THEODORO SCHMID,
PHILOSOPHIAE DOCTORE ET GYMNASII HALBERSTADIENSIS DIRECTORE.

HALBERSTADII,
EX TYPOGRAPHIA DOELLEANA.

Faustissimus hodie **Tibi** illuxit dies, *Vir doctissime,* quo ante hos quinquaginta annos admodum iuvenis publico docendi munere fungi coepisti in oppido frigore rugoso, ubi discipulorum **Tuorum** amorem ita **Tibi** conciliasti, ut post tot annos grata **Tui** memoria hodieque ibi vigeat. Breve post tempus doctrinae et docendi dexteritatis **Tuae** laude commendatus Guelferbutelam, patriae urbi vicinam vocatus es. Sed ne hoc quidem oppido diu commorari **Tibi** licuit. Nam post discessum Friedemanni, viri doctissimi, Brunsvigiam, urbem natalem, „*ubi nutriri* **Tibi** *contigit atque doceri, iratus Graiis quantum nocuisset Achilles*“ adductus es, contigitque huius urbis gymnasio primario, ut per quinque et triginta annos non erudiendi solum facultate, sed etiam regimine **Tuo** frueretur, tantumque per **Te** incrementum caperet, quantum nunquam antea habuisse constat. Nam quae **Tu** oratione, qua d. XX. mens. Octobr. a. MLCCCXXVIII. directoris munus auspicatus es, promisisti, ea religiose solvisti. In administranda enim docendi provincia id potissimum spectasti, ut, quo maiorem docendi fructum caperes, ipse docens quotidie proficeres Praeterea eorum commodis, in quibus erudiendi opera **Tua** versabatur, nihil umquam habuisti antiquius, idque diurnis nocturnisque cogitationibus meditatus es, quo modo discipulis **Tuis** tam ad ingenii cultum, quam ad morum emendationem vere prodesse posses, privatasque rationes omnes scholae discipulorumque rationibus posthabendas censeres. Neque auctoritatem in imperando et multa omnino moliendo positam esse putasti, sed hoc imprimis **Tibi** curandum existimasti, ut non magis a prava quadam lenitate, quae peccatis impunitatem dare solet, quam a feroci saevitia abesses. Humanitatis studia professus nullam earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum in **Te** umquam desiderari passus es, **Tuo** exemplo egregia confirmans illud Ovidii

— ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores nec sinit esse feros.

Tu enim, **Vir optime,** Quinctiliani illud (Inst. or. II., 2, 4) commendatissimum **Tibi** habuisti „Sumat ante omnia parentis erga discipulos suos animum ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet.“ — Ita factum est, ut virtus **Tua** et egregia animi indoles, gravitas et humanitas omnium **Tibi** corda reconciliarent et nemo reperiretur, quin summo **Te** studio et observantia coleret atque suspiceret.

At non solum viva voce praecipiens et monens iuvenum animos fingere et formare inde ab ineunte aetate studiose et summo cum fructu enisus es, sed, qua es doctrina, scriptis etiam studiosae inventuti viam aperuisti, qua incedentes linguae latinae leges Romanosque scriptores melius intelligerent. Itaque quum in omnium fere mortalium communi sensu innatum quasi sit, ut publica quadam laetitia illos dies concelebrandos esse duxerint, quibus animos grata subeat recordatio eorum, quae viri de republica bene meriti per longum annorum spatium praeclare gesserunt, omnis Brunsvigiae civitas gratis animis hodiernum diem celebrat festum, et sibi gratulatur et **Tibi**, cui singularis summi numinis favor huius diei laetitiam concessit. Quodsi hodie coniux fidissima, si filii filiaeque felices, generi et nepotes **Tui** carissimi, Deo gratias agentes, **Te** salvere iubent, si collegae spectatissimi, si discipuli, cum qui nunc sunt, tum qui ante fuerunt, vota ferunt pia, si amici dulcissimi eorumque multi, qui **Te** colunt, diligunt, reverentur, laetantes **Te** adeunt: non miraberis, **Te** nos quoque habere laetitiae testes, qui sincerum in **Te** amorem et venerationem significare velimus. Nam ex quo tempore nobis contigit, ut **Te**, Vir meritissime, nostrae congregationis, quae Oscherslebiae de rebus scholasticis disputandi caussa bis quotannis conventus suos agit, socium, saepe etiam praesidem moderatoremque solertissimum et prudentissimum haberemus, artiore nos **Tecum** coniuncti sumus et officiorum et voluntatum vinculo ita, ut quem ante hanc necessitudinem coleremus, diligere tunc atque amare inciperemus. Persuade igitur **Tibi**, Vir praestantissime, nos quoque ea, qua par est, pietate beneficia in **Te** a Deo O. M. collata gratis mentibus prosequi, neque desinere precari a Numine supremo, ut **Tibi** det viridem et vegetam senectutem, diuque **Te** conservet scholae ornamentum, iuventuti pietatis et honestatis exemplum, conventui nostro praesidium et decus. Certe iam multi eorum, qui optime de congregatione nostra meriti sunt, vita cesserunt. Occidit egregium Grotefendi sidus, gymnasii Hanoverani directoris, occidit Petrius Brunsvicensis, doctrina insignis eximia, occiderunt Schaubius et Wendtius, provinciae nostrae consiliarii scholastici humanissimi et eruditissimi, occidit Fr. Kallenbachius Wernigerodanus, candida anima; abierunt alii probi et docti viri propter locorum nimiam distantiam. Qua de caussa ut **Tu**, Vir venerande, pergas favore **Tuo** atque praesidio ornare nostros conventus enixe precamur, quo **Tua** doctrina, gravitate, temperantia, probataque in rebus scholasticis experientia longum in aevum fruamur.

His igitur praemissis, Vir humanissime, quae pro officii nostri rationibus ad animum **Tibi** gratissimum testificandum nomine et auctoritate amicorum, qui ad me hanc perhonorificam scribendi provinciam detulerunt, disserui, reliquum est, ut ex veteri consuetudine institutoque maiorum disputatiunculam quandam attexam. Cuius argumentum quaerenti venit in mentem et manus editio **Tua** Horatii Satirarum et Epistolarum quarta, quam nuper dono a **Te** acceptam magno cum fructu et voluptate perlustravi. Constat enim inter omnes, quantum studii in Horatii Sermonibus assidue legendis, castigandis, explanandis posueris, quantumque summae **Tuae** diligentiae, Horatio impensae, debeamus. Quamquam autem hos sermones ita commentatus es, ut quaecunque ad summum, quo poeta Venusinus excellit, artificium perspiciendum, ad occultam saepe prudentiam detegendam, et ad omnem omnino orationis elegentiam venustatemque cognoscendam pertinent, plene exhausisse videaris, tamen restant loci haud pauci,

qui diligenti lectori aliter aut constituendi aut explicandi videri possint. Itaque ne **Tibi**, qui veritate magis quam laude **Tua** delectaris, molestior sim, non vereor, si pauca eorum, quae mihi annotavi, proferam. Qua in re quid recte sentiam, quid secus, **Tuum** prorsus esto iudicium; mihi satisfecero, si minus acumen ingenii, certe veri amorem probavero.

Iam propono Tibi locum, quem Bentleius scopulum interpretum omnium naufragiis infamem declaravit, quique in Tua editione Sat. I., 3, 57. 58. sic expressus legitur:

— Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo ille:
Tardo cognomen, pingui damus.

Libri manuscripti longê plurimi exhibent

— multum demissus homo illi.

Codex autem Blandinius vetustissimus, cuius auctoritas in Satiris plurimum valet, habet *ille*, quam scripturam **Tu**, v. d., cum Cruquio, Bentleio et nonnullis aliis editoribus recepisti. Probo equidem, sed non recte explicasse locum mihi videris. **Tu** enim *probus* et *demissus* de uno eodemque homine intelligis, quod ut possis, *ille* positum esse dicis pro „*et is quidem*", qua significatione praecedente pronomine *quis* (i. e. si quis) cogitari vix potest. Longe aliter res se habet eo loco (Sat. I., 10, 3.: *hoc lenius ille*), quem **Tu** ne Horatianum quidem esse censes. Quod si cum plerisque interpretibus unam his duobus versibus effici sententiam iudicas, ita ut prior protasin, posterior apodosin contineat, sane probabilior videtur esse scriptura *illi*, vulgo recepta. At singula singulis versibus exempla ab Horatio proferri, semper mihi visum est, quorum prius *(probus — demissus)*, ut recte iudicat Mitscherlichius in Racematt. Venus. Fasc. II. p. 5, ad animi habitum, alterum *(tardus — pinguis)* ad mentis et ingenii indolem spectat. Nemo enim umquam dixerit *tardus et pinguis animus*, neque *probum et demissum ingenium.* Idem vir doctus eas virtutes et vitia a poeta proferenda fuisse monet, quae sibi essent contigua ac tenui tantum discrimine seiuncta, hactenus tamen diversa, ut alterum in laude haberetur, alteri probri nota impressa esset. „Nam vicina saepe vitia sunt virtutibus." Quae autem affinitas inter probitatem et tarditatem, inter hominem demissum et pinguem intercedat, difficile est ad intelligendum. At scire velim, ais, quid discriminis sit inter *probum* et *demissum*, quid inter *tardum* et *pinguem*, quum Cicero ipse de Orat. II., 43. *probos* et *demissos* coniungat, eosque *non acres, non pertinaces, non litigiosos, non acerbos* interpretetur. Non nego posse componi *probum* et *demissum*, ut *tardum* et *pinguem*, quoniam cognatam habent significationem; sed ut omittam illud, quod *demissio animi* per se non est virtus, saepe enim *demissus* significat hominem *humilem, abiectum* (ut ap. Cic. Off. III., 32: *Perspicuum est ea, quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant etc.* Sallust. Jug 98: *Neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed etc.* cf. Plin. Epist. VIII., 6. Cic. Sall. 26. Mur. 21. Tusc. II., 21. V., 8.), animadvertere Te iubeo, *demisso* adiectum esse *multum*, quod adiectivis additum non raro significat *nimium.* Vid. Gronov. ad Liv. IV., 13, 3. Utque *demissus* (ut gr. καθειμένος) per se non significat virtutem, sic *tardus* (ut gr. βραδύς) per se non dicitur in malam partem. Saepe enim *tardus* est i. q. cunctabundus, lentus, qui de re, quam acturus est, multum ante deliberat (bedächtig, vorsichtig). Nosti *ad iniuriam tardiores* ap. Cic., nosti *Pompeii tarditatem et taciturnitatem* (Cic. ad Div. I., 5.),

nosti *Balbi docti et eruditi hominis consideratam tarditatem* (Cic. Brut. 42.) et alia eius modi. Vocabulum autem *pinguis* auget et in peius effert *tardi* notionem.

His praemissis redeo ad scholiastarum, Lambini, aliorumque loci explicationem: Si quis probus nobiscum vivit, eum dicimus esse hominem multum demissum et abiectum, si quis est tardus, eum appellamus pinguem. Quamquam illis viris doctis in eo assentiri non possum, quod *illi* legunt pro *ille.* Prorsus eodem modo *ille* in fine versus atque apodosi legitur in epistola ad Pison. v. 357:

Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille.

In eiusdem Satirae loco v. 61—64, qui in libris scriptis ita legitur:

Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone „molestus
Communi sensu plane caret" inquimus. —

recte *molestus* v. 63 ad sequentia retulisti. Nam si quis eo simplicitatis processerit, ut loquentibus nobis aut tacitis quovis sermone sit molestus, summo iure communi sensu eum carere dicendus est. Id vero, ut bene monet Herbstius Gedanensis, repugnat Horatii consilio, qui quod talis homo deliquerit, levius videri vult, gravius contra, quod vulgus hominum iudicare soleat. Versu 61 Guil. Schneidewini nostri coniecturam *libenti* pro *libenter* in contextum recepisti. In eandem haud spernendam coniecturam J. Apitz incidit, qui Praedicowii et Horkelii Meinekio probata coniectura *licenter* reiecta, *libenti* explicat ἀσμένῳ σοι, qua admissa negari non potest, Maecenatem, ut qui eam simplicitatem a vulgo damnatam Horatio amico condonaverit, egregie laudari. At nosti, Vir amicissime, quantum codicum scriptorum auctoritas apud me valeat. Itaque non mirum **Tibi** videbitur, si scripturam omnium librorum servatam velim; et servari potest, dummodo verba aliter explicentur, quam a **Te** factum video. **Tu** enim interpretatus es: „*so wie ich mich oft gegen dich benommen habe*", ego sic accipienda putaverim: *wie ich oft gern dir entgegentreten möchte.*" Cuniunctivum temporis perfecti ita explicari posse, **Tu**, grammaticorum doctissime, facile mihi concedas; vide tamen Sat. I., 5, 44: *Nil ego contulerim iucundo sanus amico.* Cupiebat autem poëta amicum magnum legentem aut tacitum (den in Gedanken versunkenen) interpellare, ut curas domesticas et publicas, quibus oneratus erat, dissiparet eumque suo interventu ad hilaritatem revocaret.

Iam transeamus ad alium locum, qui legitur Sat. I., 4, 25. 26, in editione Tua sic expressum:

— *Quemvis media erue turba*
Aut a b a v a r i t i a aut misera ambitione laborat.

Tu exudendum curasti *erue,* quod omnium minime confirmatur codicum scr. auctoritate. Nam errat Kirchnerus, quum in apparatu critico tres codd. Blandinios exhibere *erue* affirmat; immo praeter unum, eundemque, quantum ratione colligi potest, vetustissimum, in quo *elige* scriptum erat, reliqui habent *eripe.* Longe plurimi et optimi codices tuentur antiquissimam et ante Aldum vulgatam scripturam *elige,* vel Acronis scholiastae testimonio probatam. Iam Bentleio *erue* nullo modo admittendum esse videbatur, siquidem verbum *eruere* significaret

latentem aliquem, aufugientem, invitum extrahere et in medium proferre. Adde quod in *eruendi* verbo inest notio difficultatis, qua quid in apricum proferatur; neque vero h. l. id agitur, ut difficile esse dicatur aliquem e turba protrahere, sed ut demonstretur, quemvis e turba examinandum tibi sumseris, eum aut avaritia aut ambitione laborare. Iam vero in *elige* nihil est, quod iure reprehendas, nisi forte cum Heindorfio aliisque quibusdam putas, verbum *eligere* h. l. pugnare cum *quemvis*, quod explicant τὸν τυχόντα, den ersten den besten. Sed interest aliquid inter *quivis* et *quilibet* (ὁ τυχών), quae pronomina eodem modo inter se differunt, quo voluntas (der Wille) et libido (die Willkühr), ut Doederleinius noster, cuius luctuoso obitu vix reparabile damnum fecit respublica literaria, optime exposuit in Lat. Synonym. T. IV. p. 252. sq. *Elige quemvis* (in nonnullis libr. scr. non male divisim scriptum legitur *quem vis*) est igitur: Permitto tibi, ut pro arbitrio tuo quem vis, etiam eum, qui minimis vitiis inquinatus videatur, media turba eligas, — eum aliquo vitio inquinatum esse videbis. Comparari potest locus Ciceronis Phil. X., 2:

Permitto, ut de tribus eligas quem velis.

Versu sequenti (26) **Tu** contra omnium fere codd. scr. auctoritatem edidisti:

Aut ab avaritia aut etc.

Ob avaritiam in omnibus editionibus ante Jo. Dusam legitur, qui primus propter constructionem mutatam ab avaritia coniecit, quod inventum D. Heinsius et T. Faber, ut suum, commendarunt, Bentleius defendit. Si postea in paucis iisque levissimi ponderis codicibus scr. aut *ab avaritiam* aut *ab avaritia* invenitur, turbasse videtur librarios, ut eos, qui coniectura opem ferrent, variata structura, qualis bis tantum reperitur apud Horatium, Sat. I., 3, 90—94 et Epist. II., 1, 31, a **Te** non bene reiecta:

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Sic optimi quique exhibent codices, inter eos etiam Blandinii. Sed de hoc versu satis disserui editionis Epistolarum meae pag. 307. Alter locus a Te allatus Sat. I., 6, 110 sq.

Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Millibus atque aliis vivo

huc non pertinet. Nam *millibus aliis* non est *quam mille alii homines*, sed *in mille aliis rebus*, ita ut *millibus aliis* respondeat praecedenti *Hoc*. Vellem unum locum attulisses, ubi priore membro comparativum particula *quam*, posteriore eundem ablativus sequatur. Nostro vero loco neque rarus usus praepositionis *ob*, neque variata structura editores offendere debebat. Nam prorsus simili ratione Horatius scribit Epist. II., 2, 42: *clarus ob id factum*, et Sat. I., 3, 90—94:

Comminxit lectum potus mensave catillum
Evandri manibus tritum deiecit, ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? —

ubi promiscue dictum est variata constructione *ob hanc rem* et *hoc*, quod utrumque ad *minus iucundus* pertinet, ut **Tu** ipse explicas. De variata autem structura, quam scriptores Romani non negligentia quadam seducti admiserunt, sed consulto quaesiverunt, non est, quod dicam, postquam Drakenborchius ad verba Livii XXXVIII., 28, 10 *non tam ob recentia ulla merita*,

quam originum memoria" multa huius variationis exempla collegit, et S. Obbarius cum alibi, tum in Jahnii annalibus (1830. pag. 420 sq.), cur ita scripserint, luculenter exposuit:

Praeteriens probo **Te** non admisisse coniecturam Franc. Ritteri Sat. I., 10, 50: *At dixti* pro *dixi*, quod in omnibus libris et scriptis et impressis est. *At dixi* significat h. l. *aber freilich habe ich gesagt,* id quod adversarii mihi crimini dant, de quo usu particulae *at* Hand. in Tursell. I. p. 433 disseruit, ubi affert locum Cic. Phil. II., 9, 21: *At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicae sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid ergo? In tanta laetitia cunctae civitates me unum tristem esse oportebat?*

Sat. II., 5, 90 Tu edidisti:

Difficilem et morosum offendet garrulus ultro;
Non etiam sileas —

altera scriptura *ultra* ne commemorata quidem, quamquam ea optimis plurimisque codicibus, etiam quattuor Blandiniis fulta est. Quam non aptum sit *ultro*, sive iungitur cum *garrulus*, sive cum *defendet*, optime docuisse videtur Teuffelius in commentario editioni Kirchnerianae adiecto. *Ultra* autem cum sequentibus iungendum *Ultra silere* est diutius, quam par est, ultra modum, vel ultra quam ut non offendat garrulitate, ut explicat Ritterus. Sic apud Tacitum Hist. III., 62: *ne quam ultra spem foverent.* Ad sententiam conferri potest Propert. I., 10, 21: *Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae, neve superba loqui, neve tacere diu.*

Eiusdem Satirae versum 103 apud Te contra omnium codicum scr. fidem sic expressum video:

Sparge subinde et, si paulum potes, illacrima; e re est
Gaudia prodentem vultum celare. —

Hanc Praedicowii, monstrosi hominis, coniecturam, in quam postea Lachmannus ad Lucret. p. 297 incidit, cum Kirchnero, Meinekio, Hauptio, auctoribus sane bonis, non recte recepisse videris. Nam sine idonea caussa Lachmannus in verbo *est* offendit, quod positum esse pro *est aliquid, prodest,* (vel *iuvat*, ut Acron schol. explicat) sumebat. Sed *est* h. l. idem est, quod *licet,* ut ἔστιν apud Graecos pro ἔξεστιν, qua significatione cum apud alios poëtas tum apud Horatium legitur Epod. 17, 25, Sat. I., 4, 101., Epist. I., 1, 32. *Illacrimare* est infinitivus, non imperativus, ut voluit Orellius, et verbo *est* incipit apodosis. Sententiam loci, qui ita exarandus est:

Sparge subinde, et si paullum potes illacrimare, est
Gaudia prodentem vultum celare —

Doederleinius in editione Heindorfii optime exposuit.

Iam Epistolarum aliquot locos, consideratione non indignos, breviter perstringam, et quidem eos, quibus **Tu**, V. d., auctoritatem codicum scr. optimorum secutus a novissimis editoribus dissides.

Recte igitur legis Epist. I., 6, 31:

— virtutem verba putas, ut
Lucum ligna. —

quum alii ediderunt cum Baxtero *putes ut,* alii cum Bentleio *putes et,* alii, quorum Fr. Ritterum nomino, *putas et.* Scriptura a **Te** recepta et explicatione brevi satis defensa nititur testimonio

optimorum librorum scr., ut Bernensis no. 21, Sangallensis no. 864, Hispaniensis, Gothani optimi, aliorum multorum, quibus, nisi omnia me fallunt, Blandinios omnes adnumererare possum. Quamquam enim non ignoro, Cruquium pro more illius aetatis non ubique codices suos inspexisse, tamen nostro loco consultasse inde apparet, quod trium Blandiniorum scripturam *putes* enotat.

Epist. I., 7, 58 a Doederleinio, qui cum Bentleio edidit *lare curto* bene tuitus es scripturam vulgatam *lare certo,* quo Vulteius Menas gaudebat. Neque repugno, si paullo ante v. 50. *Adrasum* ponis pro *Abrasum;* hoc tamen **Tibi** non concesserim, *abradi* dici non posse nisi de barba, non etiam de capitis capillis, pro quo *attonsum* desideras. Nam apud Petronium Sat. 32 legimus: *Pallio coccineo adrasum excluserat caput,* et apud eundem cap. 103: *hic* (tonsor) *continuo radat utriusque non solum capita, sed etiam supercilia.* Rursus *tonderi* etiam de barba dici apparet ex his locis: Cic. Tusc. V., 20 Virg. Ecl. I., 29. Iuven. I., 25 et VI., 378 sed interest aliquid inter *radi* et *tonderi; raditur* barba vel etiam caput novacula, *tondetur* forfice, *vellitur* volsella. Unde legimus apud Suetonium Caes. cap. 45: *Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed etiam velleretur.* Nihilo minus **Tibi** concedo, nostro loco sive *adrasum* sive *abra*sum legis, de barba intelligendum esse. Non enim radebantur capitis crines nisi servorum, quum libertate donarentur (Vid. Liv. 34, 52 et 45, 44. Plaut. Amphitr. I., 1, 306. Iuvenal. V., 172 et 12, 81. Serv. ad Virg. Aen. 8, 569), et naufragio liberatorum vel eorum, qui e morbo periculoso convaluerunt (Vid Non Marcell. pag. 528 edit. Mercer.). Ceterum *adrasum* illum *cultello proprios purgantem leniter ungues* non cum Rittero conspexerim *vacua in umbra* „arboris ad domum tonsoris positae", sed in ipsa tonsoris umbra i. e. taberna, tonstrina. Nam umbrae vocabuntur omnino, quae umbram faciunt, ut tabernae, casae frondeae, tentoria, porticus, Vid. Ovid. A. A. I, 67 et III. 387. Martial XI., 49, ubi *umbra Pompeii* pro porticu Pompeii. Eodem modo apud Graecos σκιά pro σκηνή. Tales autem tabernae, quae parieti aedium affigebantur, quo homines opificium ibi exercentes et res venales praetereuntibus essent conspectiores, hodieque in Italiae oppidis frequentes sunt. Domitianus demum vicos a tabernis illis, aedificiis praefixis, liberavit, ut spatium daretur per urbem ambulantibus. Inde ex eo tempore secundum Martial VII., 65.

Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Praeterea urbis Romae plateae tam angustae erant, ut arboribus in iis locus non esset. Vix alia ante aedificia conspiciebatur arbor, quam laurus *ianitrix Caesarum pontificumque.* Vid. Plin. H. N. 15, 39. Ovid. Met. I., 562.

Epist. I, 15, 16 ne hodie quidem scripturam *Dulcis aquae,* quam Blandinius vetustissimus, Gothanus optimus aliique codd. tuentur, mutaverim cum ea, quam **Tu** recepisti, *Iugis aquae,* quippe quae ex glossa marginali, qua praecedens *perennes* explicetur, in contextum irrepsisse videatur. Nam quod Ritterus dicit, *dulcis aquae* ne latinum, nedum Horatianum esse, nihil moror. Conferas velim Virg. Georg. IV., 61:

— (apes) *aquas dulces et frondea semper Tecta petunt.*

Praeterea apud Columellam de R. R. I., 5. de villa collocanda legimus: *Sit autem vel intra*

villam vel extrinsecus inductus fons perennis. Si deerit fluens unda, putealis quaeratur in vicino, quae non sit haustus profundi, non amari saporis aut salsi. — Ceterum ad aestuum temperandos calores et amoenitatem locorum plurimum conferunt salientes rivi, quos si conditio loci patietur, qualescunque, dummodo dulces, utique perducendos in villam censeo.

Epist. I., 16, 43. recte cum codice Blandinio vetustissimo retinuisti:

Quo res sponsore et quo caussae teste tenentur pro quo Ritterus *Quo responsore* reduxit. Recte etiam novissima editione Tua restituisti optimorum codd. scripturam Epist. II., 1, 46: *demo etiam unum* pro *et item unum*, ut paullo post nunc primum: *qui redit ad fastos* pro *in fastos*, quod Ritterus habet. Sic enim Cruquius sine dubio iuvenit in omnibus suis codicibus, quos hoc loco inspexisse eo probatur, quod diversam quorundam codicum scripturam *fastus* annotavit. *Redire* autem *ad aliquem* v. *ad aliquid* est refugere, (seine Zuflucht zu etwas nehmen), ut apud Cic. ad Att. IV., 2, 11: *Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit.* Terent. Heaut. IV., 3, 41: *Quid si redeo ad illos, qui aiunt* etc. Similiter verba *ire, currere, recurrere ad aliquid* usurpantur. Terent. Heaut. prol. 44: *Si qua laboriosa est, ad me curritur.* Andr. I., 5, 16: *ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.*

Sed iam redeo ad **Te**, Vir amicissime, quem exclamantem *Ohe, iam sătis est!* audio, redeo illuc, unde abii, ut orem et obtester Deum O. M., ut splendorem huius diei perpetua et incolumi vitae felicitate augeat et cumulet. Vale, Vir carissime, ac favere nobis perge!

